

SIMON SCHARDIVS IVRE CONSULTVS.



**S**imon in Saxonia 1535 honesto loco natus, ac a  
pueris in omni genere literarum & uirtutum  
institutus fuit. Is cum prima artium principia didi-  
cisset, se se ad doctorum hominum conuētus con-  
tulit, atq; artibus & linguis magna diligentia ope-  
ram dedit. Inde quoq; se se ad Legum studia con-  
uertit, atq; tanto successu in ijs uersatus est, ut om-  
nium acclamatione Legum Doctor crearetur. Id  
cum illustrissimus Bipontinus princeps intelle-  
xisset, eum ad se uocauit, atq; inter suos consilia-  
rios adoptauit. Eam prouinciam Simon modestē  
subiit, atque tales se se p̄fstitit, ut suis uirtutibus  
omnibus esset gratissimus. Inde quoque ani-  
mum ad scribendum appulit, atque leges Rhodienses, nauales, rusticas, &  
quædam alia Græca atque Latina ab interitu vindicauit. Multa etiam a-  
lia in Iuris studiosorum gratiam collegit atque 1566 Basileæ ædidit. Hoc mo-  
do Simon etiamnum pergit, atq; suis lucubrationibus omnibus doctis inno-  
tescit. Anon.